



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis Libri Quatuor

Graziani, Antonio Maria

Parisiis, 1669

Lectori S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9616

LECTORI S.

CODEX manuscriptus ex quo editio hæc nostra expressa est, paratissimus erat ab omnibus quæ desiderari possunt, ut quivis bonæ notæ liber faustis avibus in lucem prodiret. Viri scilicet eruditissimi & diligentissimi, à quibus manumissionem expectabat, nil prætermiserunt, quo ornatiori cultu se daret in publicum. Præfationem elegantissimam, elogium ipsius scriptoris è selectissima Nicii Erythræi Pinacotheca præmisere, indicem denique copiosissimum addiderunt; adeò ut totus ex se aptus Typographos ad amorem sui pellicere videretur. Verùm ejusmodi artificum hodie in Italia talis aut penuria, aut negligentia est, ut aliunde quærendi fuerint, qui optimum fœtum tollere, & sibi vindicare vellent; quod tandem feliciter factum est, auctore ac fidejussore locupletissimo V. C. Petro Seguino Regiæ insignis Ecclesiæ S. Germani Paris. Decano. Is cum Italiam perambularet, in qua, tum humanitate tum doctrina, sibi similes complures amicos conciliavit,

Romæ in Museo Illustriss. ac Erud. Viri, opus istud egregium nactus est. Ægrè tulit profectò vir acerrimi iudicii in dijudicandis ejusmodi lucubrationibus, eximium scriptorem diutiùs in ea custodia tanquam captivum latere ac detineri: Alapas ei à libri Domino facilè impetravit, libertatem & lucem Gallicam promisit; illam in hoc splendidissimo Academiae Paris. sole præstat.

Fruere isto doctissimi Seguini dono, LECTOR, quòdque ingenui animi est, cui jam multùm debeas, perge plura libenter ei debere velle. Non potes ignorare, nisi sis omninò amœniorum litterarum expers, & reconditoris antiquitatis incuriosus, quantum debeamus scrutatoribus & interpretibus priscorum numismatum, quantumque ad historiam Græcam Latinamque intelligendam, ac temporum seriem digerendam conferant: At ille noster instructissimum ejusmodi Cimeliorum Museum possidet; sed non tantùm sibi: studiosis latè patet, quos si quid vel abstrusissimum ab eo illustrari velint, quâ est affabilitate ac solertiâ, promptè ac egregiè doctos dimittit. Novissimè verò, invisas hæctenus aliquot Deorum, Heroum, ac Regum effigies, aut

non intellectas earum inscriptiones; mirā
Latini sermonis puritate ac interpretationis
felicitate, plaudentibus artis peritis edidit.
Verumenimverò, pace illius dixerim, in-
ter illas imagines licèt raritate & pretio e-
ximias, eminet imago vitæ Commendoni,
quam ejus beneficio tibi exhibemus, vnde
viri Ecclesiastici, religionis & pietatis amo-
rem; Politici rerum agendarum peritiam
hauriant; Tu quisquis es, LECTOR, vir-
tutum omnium exempla depromere possis.



AMICO